DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

PODAGRA PRÆSERVANDA,

Quam,

AUSPICE DEO PROPITIO,

Et Consensu atque Auctoritate Gratiosæ Facultatis Medicæ,

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

PRÆSIDE

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBL. ORDIN. ETC.

DECANO H. T. SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, Præceptore ac Promotore suo omni honoris cultu prosequendo,

PRO LICENTIA,

SUMMISQVE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQVE CONSVETIS,

ANNO MDCCXXIX. D. JANUAR.

PUBLICAE AC PLACIDAE ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET

RESPONDENS

SIGISMUND HARTMANN SILCHMÜLLER,

SALISVNDA-FRANCUS.

HALÆ MAGDEB. LITTERIS HENDELIANIS.

PROOEMIUM.

POdagræ notionem abhorrescunt divites, in præclaro vitæ genere constituti & lautioribus epulis fruentes, quorum votum est, ut Podagra non ens evaderet; homines vicissim compositi animi, temperatæ diætæ, agiles, laboriosi, aut plane vilioris & indignioris qualitatis, ne quidem de podagra cogitant, eamque nullo affectu meticuloso aversantur: quare de Podagra eleganter differit *Casp. Rejes Camp. Elys. quæst. jucund. Qu. 88. n. 12. optat Podagra bene edere, vestiri commode, habitare late, cubare molliter, dormire satis, laborare nil, & recreationibus vacare perpetuis: hinc ad divites cito convolat, a quibus non nisi acerbius tractata refugit: ergo si egestate compulsi, aut ex forti animo deliberati; nitantur parce comedere, male vestiri, anguste habitare, rigido strato jacere, modice dormire, corpus exercere, & ab omni*

omni recreatione procul agere, dubium non est, tam iniquum hospitem tædio fastiditum extra proprios lares abiturum, ut pauperibus evenit, quorum domos aut raro, aut nunquam invisit: habet itaque hic affectus partim strenuos inimicos, partim promiscue æstimatores, partim commendatores, siquidem non incogniti sunt qui in re litteraria Podagræ laudes & encomia protulerunt, inter quos inclaruere *Cardanus*, *Pirckheimerus*, *Cornarius Gaudensis*, *Luciauus*, *Erasm. Roterodamus*, & *Camerarius* qui ultimus in *Syllog. Memor. Cent. 12. partic. 1.* fusius *Apologiam* seu *Podagræ laudes* profert: Sane Podagram nullus laudaret, nisi vel in abstracto, vel privative, si videlicet procul abesset, neque unquam, neque sæpe, neque acerbius affligeret; haud enim facile assentientes inveniet *Cardanus* ad *Stoicorum* imitationem, quod Philosophus aut nunquam sine dolore esse, aut afflictionem non magni æstimare debeat; etenim si magnum Philosophiæ momentum animi quies & tranquillitas constituit, ferreus certe ille erit homo, qui sub tantis cruciatibus philosophice & non imaginarie aut fictitie tranquillus fuerit: hinc per conscientiam philosophicam illi etiam Podagram eximie aversantur, qui nonnullarum caussarum in vitæ suæ tramite conscii sunt, quæ dirum hunc affectum provocare solent, siquidem afflictionem hanc summo persequuntur odio, & tamen causis huc disponentibus se abdicare renuunt: quare a Medicis præservationem a Podagra enixe & anxie postulant, imo talem prophylaxin æstimant, quæ molestum hunc affectum omnimode quidem averteret,

teret,

teret, & libertatem consueto hactenus fruendi more concederet, quæ grata & accepta esset plurimis Podagram metuentibus & expectantibns subjectis, oratio, promissio & consolatio. Quam adversus, taediosus & molestus vero hic est affectus, tam majori cura & ingenua applicatione illius præservationem admittere debent, siquidem medica ope malum hoc avertere, & reliqua vitæ laxitate, aut caussarum, morbum hunc provocantium, minus attenta observatione huic affectui novam viam novumque accessum pandere velle, contrarias operationes & consecutiones invitat, quidquod hoc malum, quod medica manu profligatur, eo acerbius & gravius invasione sua reddit: Quo gravior, intricatior & contumacior porro est morbus, eo maturius eoque constantius illius præservationi studere debent, qui in eundem inclinare solent; etenim morborum aut nunquam, aut difficulter curabilium primam invasionem expectare, ne regulæ prudentiæ quidem permittunt: turpius ejicitur, quam non admittitur hospes talis ingratus, malus, infensus & valde dolorosus: recte propterea *Seneca Lib. de ira c. 7. & 8.* profitetur: *facilius est excludere perniciosa, quam regere, & non admittere, quam admissa moderari, nam cum se in possessione posuerunt, potentiora rectore fiunt, nec recidi se minuive patiuntur; in primis finibus hostis arcendus est; nam cum intravit & portis se intulit, modum a captivis non accipit:* hæc merito quadrant ad Podagræ conditionem; nam si divites hujus adversi & abominabilis affectus invasionem larga mercede & pecunia

curia avertere possent facile in hunc contractum consentirent; attamen si recte sibi consulerent, non modo mercedem talem servarent, sed & melius reliquis suis rebus & impensis prospicerent, quando mature hunc affectum averruncare mallent; ubi tamen nonnullæ exceptiones annotandæ sunt, quando ob quasdam rationes, quæ sub potestate & arbitrio hominis neque plenarie, neque facile sunt, ominosus hic affectus irruit. Si itaque juxta *Q. Serenum Cura magis prodest venturis obvia morbis*, ita hac occasione ad PODAGRÆ PRÆSERVATIONEM animum propius dirigimus, quam brevissima explicatione Inaugurali hoc Specimine commendabimus: Affulgeat nostris conatibus divina clementia, efficiatque, ut ad vota optima succedant.

§. I.

AD *Præservationem* Podagræ accedentes, *feliciorem* nobis promittimus successum, quam in *plenaria* ejus curatione & *abolitione*: etenim Podagræ jam *confirmatæ*, ne quidem consummatæ *ægre* medicina ad vota paratur: quam ob rem *primis* ejus *apparatibus*, aut *propioribus dispositionibus* peritus artifex succurrere debet, priusquam videlicet hic dirus affectus *actuales* ingressus fecerit. Hæc *Præservatio* vero *duplici* respectu ventilanda est, *priori*, quando subjecta *eminus* in hunc affectum, quem quidem *nunquam* subierunt, *inclinantia* a *prima* invasione *defenduntur* & liberantur; *posteriori*, quando subjecta quædam jam actu semel, imo *iterata* vice, Podagra correpta, bonis *consiliis* horumque sollicitis observationibus & applicationibus instruuntur, ne affectus hic *sæpius*, *fortius*, *acerbius*, *&*

omn-

ominofius recurrat: *Quælibet* harum obfervationum *præcipuam* & *peculiarem* meretur annotationem; quare hoc lo de *priori* fpecie Præfervationis nobis fermo erit: hæc itaque eo *dignior* eft, quo magis fecundum *Ciceronem robuftius* & *plerumque inveteratum* eft *malum*: quam ob rem non modo *ferme* in qualibet *Podagræ* tractatione, a Doctoribus oblata, *præfervatoria* cura attingitur, fed & feorfim *Henric. Cunrad. quæftionem de præcautione podagræ* propofuit & ventilavit, *Pergaminus de præcautione a Podagra*, *Jacobus Baldus*, *Scribonius*, *Sperlingius* feorfim de *præfervanda Podagra*, *Horftius Part. II. Lib. 3. obf. 1.* fub titulo *Podagricorum dolorum incipientium præfervatio*, falutaria confilia & auxilia obtulerunt & commentati funt: Quemadmodum vero *omnis* Præfervatio *opportunitatem* temporis requirit, ita cum hac *mora non* gerenda eft, fiquidem *eminus* & *tacite* appropinquans hic affectus tam diu *negligentius* æftimatus *fubito* poftea irruit, nec præfervationem abfolutam amplius admittit: interim dantur etiam tales cafus ubi Podagra aliquando oritur in nonnullis fubjectis, in quibus *certitudo* imminentis & confequentis hujus affectus haud comparuit, v. g. quando quidam homines in conclavi, dormitorio, aut locis diu commorantur, quæ *calce*, aut *vernice* recenter reparata & exftructa fuerant, aut quorfum halitus *mercuriales* frequenter & liberaliter pertingere poffunt, unde affectus *arthritici*, *ifchiadici* & *podagrici* provocantur.

§. II.

Præfervatio Podagræ præfupponit *certam* hujus affectus *cognitionem hiftoricam*, præcipue quoad circumftantiam *fubjectorum*, in quibus refpectus *naturales* annotare convenit, videlicet *ætatem*, *fexum*, *temperamentum*; deinde *collaterales* circumftantias, *vitæ generis*, *hæreditariæ difpofitionis* &c. frivola enim & imprudens effet *follicitudo* hunc affectum *præfervare* velle, ubi *metuendus haud* eft:

in

in hac vero disquisitione fallaces *speculationes* maxima cura evitandæ sunt, videlicet quando secundum *antiquam* opinionem Podagræ origo *primario* materiæ *salsæ*, acri, tartareæ, fixæ, *nervos* stimulanti, & *spasmos* excitanti adscribitur; inde *facilis* quidem, sed *falsa* emergit conclusio, quod, homines *frequentius* victu & potu *salito* utentes, in *Podagram* inclinent; ne itaque *communia* hominum exempla, videlicet *vilioris* conditionis homines, qui *largo* sale utuntur, *objectionem* constituant, mox excusatio illa producitur, quod hujus sortis homines duro & *laborioso* vitæ genere *ingesta* talia *salia* denuo *elaborent*, i. e. motu corporis ad *excretionem* promptam prosequantur; non habito respectu, quod non modo *antea* hæc salia *in corpore* fluctuaverint, sed & hoc motu corporis *concentratiora* & efficaciora reddita fuerint, quæ ante ultimam excretionem *perniciosum* talem effectum satis prompte exserere potuerant. *Præsupponimus* itaque in hac tractatione *veram historiam* hujus affectus, cujus *præservationem* præsenti themate commendamus, & quidem *circumstantias* illas, quæ *subjecta* attinent, probe annotandas velut *fundamenti* loco sternimus: quare sciendum, quod in hunc affectum præcipue inclinent *sanguineo-cholerici*, deinde *Sanguineo-melancholici*, *ut & melancholico-cholerici*, *cholerico-melancholici* temperamenti subjecta, quæ in diæta *plena*, aliquando simul *lauta* & spirituosa vivunt, non raro in *victu* & *potu excessum* committunt, potu *pingui*, *saturato*, *spisso*, aut *spirituoso*, *vinoso*, & sanguinem valde *commovente*, præcipue viris *recentibus* & *sulphure* copioso & crasso *abundantibus*, utuntur; quæ variis animi *affectibus*, præcipue *iracundis*, indignabundis, aliquando etiam *libidinosis* addicta sunt; quæ porro *sedentariæ* magis se manciparunt vitæ, in *victus* & *potus* tamen quantitate & *copia* nihil sibi subtrahunt, aut

qui

qui sub aliquali corporis *exercitatione*, tamen *frigidiori* aëri & regimini indulgent, indeque *ordinarias* excretiones, *periphericas* præcipue, nec non *alvinas* admodum turbant & impediunt: interea *non semper* Podagrici *libidinis*, luxuriei, incastitatis, & *intemperantiæ* in *Diæta* arguendi sunt, siquidem *reliquæ* causæ commemoratæ *concurrentes* ad provocationem hujus mali satisfaciunt: quo imprimis etiam *hæreditariam* dispositionem referimus, nec non quando prædicta subjecta in locis *frigidis*, *humidis*, humido-frigidis, impuris &c. diu commorantur, quando in ædibus *recenter* exstructis habitant, quando *vapores*, *nervis* inimicos, ex *calce* viva exspirantes, aut *arsenicales*, *mercuriales*, inspirant &c. ex quibus circumstantiis jam facile inclarescet, quales *respectus* atque *causæ* in *præservatione* hujus affectus annotari & *medica* ope dirigi debeant.

§. III.

Ad Præservationis hujus prudentem & *peritam* tractationem præcipue illa observatio pertinet, qua subjecta *discernenda* sunt, in quantum *podagricum* affectum aut ex *hæreditate*, aut ex *adventitia* ratione acquirere possunt: ubi in *priori* respectu *tempestive* salutaria consilia subministranda sunt, quoniam hic affectus ex hac causa *juniora* subjecta corripere solet, uti hanc circumstantiam seorsim annotarunt *Sydenhamius tr. de Podagra*, *Celeberr. D. D. Stahlius in Patholog. Medic. & disp. de Podagra & D. D. Præses in disp. de Podagra Juniorum*: deinde attento animo observare convenit, quænam subjecta de *prædictis* qualitatibus *plus* aut *minus* participant, ubi iterum aliquando *maturius* podagræ *præoccupandæ* consilia congrua conferenda sunt: quam ob rem *judicioso* Medico haud plane absconditum esse potest, *in quibus* subjectis paulo *certius* dirus hic affectus sua *invasione* metuendus sit, ut non per cæcam *conjecturam* aut fallacem *præsumptionem*

nem consiliorum suorum *necessitatem* & *utilitatem* defendere debeat: Sicut porro hæc Podagræ *præoccupatio* congruo *tempore* & in congruis *subjectis* instituenda, ita & justo *modo* succedere debet: etenim quo magis *intricatus* hic est morbus, eo *major* cura habenda est, ne vel *perversa* præservatione malum hoc potius *provocetur* & *acceleretur*, neve alia *confusa* morborum schemata invitentur; hinc non *rigorosa*, strenua, *impetuosa*, & valde *artificialis*, methodus ordinanda est, qualis certius *adversa*, quam salubris fuerit: nam hic affectus in *præservatione* & *curatione* respuit suspectam *audaciam*, *multiplicationem* consiliorum & auxiliorum, *inconstantiam* medicam, (quæ alias *levis* & minus fundati animi character est,) ut & *plebejum experimentandi* morem; siquidem in *præsentis* præservationis administratione *valde* & *frequenter* medicamentosa, aut *miscellanea* pharmacevtica interdicimus, & potius *leniora*, *temperatiora* & ordini, sensui & consensui *naturæ convenientiora* probamus atque commendamus: quando porro Podagræ Præservatio *falsis* & *speculativis* causis nititur, tunc iterum *causam communem* cum reliquis hunc affectum *invitantibus* caussis facit & morbi hujus *maturiorem* invasionem allicit v. g. si præsumitur, quod podagra *principaliter* ab *acrimonia* sanguinis & seri proveniat, cui corrigendæ *edulcorantia*, primas vias inquinantia, *lacticinia*, sanguinis copiam *augentia*, *gelatinosa*, valde *nutrientia*, *absorbentia* copiosa, sanguinem *inspissantia* &c. ordinantur, tunc facile *juxta hanc* sententiam & methodum Podagra *invitatur* & *minus declinatur*: idem etiam succedit, quando *cruditates* ventriculi & primarum viarum, aut *obstructiones* vasorum sanguiferorum pro *genuina* & *primaria* hujus affectus caussa habentur & tractantur.

§. IV.

Quo itaque verum fundamentum *præservatoriæ*, a no-

nobis commendandæ methodi ponamus, ita asseveramus, quod Podagra sit *spasmus pedum, sanguinis molesti, præcipue vero superflui, per vasa hæmorrhoidalia evacutioni destinatus & eminus dicatus, quare innumera* exempla proferri possunt, quibus *veritas historica* confirmatur, quod *Podagrici* sint *hæmorrhoidarii*, *salva* etiam ille observatione, quod *varii* inveniantur *Podagrici*, quibus *nunquam actu* fluxere *Hæmorrhoides*, de quibus tamen assevarari haud potest, quod *nunquam* etiam *apparatus &* conatus *hæmorrhoidales* experti fuerint; siquidem sub *judiciosa* indagatione facile illis, quibus negotium *hæmorrhoidale* perspectum est, & qui de eodem non, sicut cæcus de coloribus, judicant, certa & perspicua signa innotescent, quibus præsentiam *moliminis* & processus *hæmorrhoidalis* confirmare & demonstrare poterunt: quam ob rem a *veritate* perquam abludit illa assertio, quod propterea *Hæmorrhoides* & *Podagra consentire* nequeant, quia *multi podagrici* non hæmorrhoidarii comparent; ubi sane illis, qui vel *præjudiciose* de hæmorrhoidali negotio sentiunt, vel hoc plane non intelligunt, *consensus* talis *cognitus* esse *haud* potest, qui tamen toties ab *Excell*, *D. D. Stahlio & D. D Præside* in *multis* scriptis ad *oculum* demonstratus, & multis *observationibus* atque *suffragiis* confirmatus fuit, quæ demonstratio itaque ad hunc usque diem *salva* & firma est: quare facile *D. Præses* multiplices casus ex sua Praxi commemorare posset, quod quidam homines sub *retardatione*, aut *impedito & difficili*, vel plane *suppresso* Hæmorrhoidum fluxu mox *Podagram* susceperint, & quod sub Hæmorrhoidum *tempestivo reditu*, mox iterum illam Podagram *amiserint:* neque quidem nobis etiam *tales* incogniti sunt, quibus *actualis* Hæmorrhoidum fluxus *Podagram haud* sublevavit, in quibus casibus vero iterum *peculiares* circumstantiæ *judiciose* advertendæ & discernendæ sunt; nam si *fluentes*

tales Hæmorrhoides variis *perversis* qualitatibus præditæ, adeoque *anomalæ* fuerint, aut si jam ipsa Podagra *consummata*, immorigera, *pertinacissima* maximeque *habitualis* fuerit, tunc Hæmorrhoides *supervenientes* æque *irregularibus* & perversis qualitatibus præditæ existunt, quæ propterea desideratam opem ferre *haud* possunt; quemadmodum alias medicamina aut auxilia data *tempore*, videlicet *opportuno*, prosunt, quæ vero *tunc demum* oblata, quando affectus ad *summum* pertigit gradum & *valorem*, *minus* proficiunt, id quod numerosissimis exemplis *medicis* confirmari posset: Denique illæ causæ, quæ *secundariæ* & *remotiores* in hoc negotio existunt, velut sanguinis *acrimonia*, *cruditates* primarum viarum, sanguinis spissitudo, aut nimia *subtilitas*, a *principali* & ad *formam* rei spectante prudenter & perite *distinguendæ* sunt, quas meditationes *fundamenti* loco præmittimus, quæ alibi fusius commendatæ & demonstratæ prostant: interea modo nominatæ causæ spasticum hunc affectum, ad *hæmorrhoidale* negotium pertinentem, *eminus* aliquando excitare solent, id quod tamen cum *principali & formali* respectu *confundi* haud debet.

§. V.

Ad Podagræ itaque Præservationem *plenariam*, ut *nunquam* videlicet subjecta corripiat, pertinet aut *Præservatio Hæmorrhoidalis* processus, quam *peculiari* dissertatione *D. D. Præses* indicavit, aut hujus fluxus *congrua tractatio* & moderatio, quam in *variis* scriptis æque *D. D. Præses* commendavit; quando enim ullo modo *Hæmorrhoides*, quæ valde *delicatum* processum constituunt, *turbantur*, offenduntur & sufflaminantur, tunc in *aptis* subjectis facile *Podagra* irruit: quam ob rem ex *parte* optimum, certissimum & præsentissimum Podagræ *præservativum naturale* est motuum *hæmorrhoidalium* legitima *directio*, quam ex scriptis *Illustris D. D. Stahlii* &

in-

integro tractatu *de Hæmorrhoidibus D. D. Præsidis* præsupponimus & commendamus: & si in nonnullus subjectis *evacuatio* sanguinis hæmorrhoidalis *nunquam* contigit, *molimina* vero *huc* tendentia adsunt, tunc hæc *coercere*, *repellere*, *anodynis* subjugare, aut *alio* suspecto modo *opprimere* minime convenit, quin rectius præstiterit, *molimina* illa aut ad *tempestivum* & regularem successum promovere, aut *vicaria* excretione, *congruo* loco, tempore, modo &c. naturam *sublevare*, & semel *ordinatas* Hæmorrhoides in *justo* successu servare, haud vero *rigorose* impellere, *urgere*, vel plane sub Podagra jam *ingruente cogere*: etenim valde frequenter obtingit, ut quidam homines *primos conatus* ad *hæmorrhoidalem* purgationem experiantur, quos nonnulli pro *cruditatibus* crude æstimant, & perperam cum *emeticis* & *purgantibus* profligant, sicque mox in *primo accessu* Hæmorrhoides *pervertunt*, quæ turba posthac in *podagricum* malum *degenerat*: alii autumant, quod illi *initiantes apparatus* hæmorrhoidales, pathematibus *hypochondriacis* adscribi mereantur, (in quo judicio non *omnimode* errant) hincque *martialia*, *flatus* profligantia, *stomachica calida* &c. propinant, unde iterum eminenter & evidenter accessus hæmorrhoidalis *confunditur*: sub qualibus & similibus adhuc aliis tormentis *medicis* motus *hæmorrhoidales*, ad *salutarem* scopum suscepti, eo pertendere haud possunt; hinc *Podagra* aliquando irruit, quando jam *inique* Hæmorrhoides tractatæ fuerant: unde concludimus, quod qui *primos* accessus & apparatus *hæmorrhoidales* recte tractare scit, etiam *Podagram* certius in talibus subjectis *præservaverit*: neque quidem propterea ipse *fluxus* hæmorrhoidalis *iniquis* judiciis onerandus est, quod æque *perversum* esset, acsi quis fœminarum purgamina uterina *menstrua* contemnere & *condemnare* mallet, quæ tamen adeo eminenter pro *sanitate* tuenda militant, licet leves

quædam *molestiæ* intercedant: quare in hoc Hæmorrhoidum processu tantum *ordinata* & congrua vivendi ratio seligenda & servanda est; quam vero multi *ægrius* admittunt, adeoque Hæmorrhoides *adverso* adspiciunt affectu atque judicio, cum rectius attendere debeant, quod legitime procedentes exoptatæ *sanitatis* & *longævitatis* causa existant; *conf. plur. D. D. Præsidis disp. de Hæmorrhoidum cum Podagra & calculo consensu ut & de Hæmorrhoidariorum regimine & Diæta.*

§. VI.

Præterea *Præservatio* Podagræ ita est instituenda, ut ratione qualitatis *Aëris* quælibet subjecta *temperiem* seligant; nam *valde æstuosus* aër nimium *commovet*, *inturgefacit*, rarefacit, & immodica *ebullitione* impellit *sanguinem* huncque *ordini* naturæ perquam *molestum* reddit, ut propterea *immoderatiora* molimina, *superfluum* & onerosum sanguinem *imminuentia*, citius & facilius superveniant, quorum numero *Podagricus* hic affectus, qui quoad *reliquas* circumstantias *apta* subjecta corripit, accenseri meretur: proinde talia subjecta omni occasione *fortiorem* æstum vitare debent, qui vario modo in *liberum* & *temperatum* successum motus progressivi sanguinis & ordinariarum *excretionum* eximias turbas incutit, hacque ratione ad *citiorem* Podagræ invasionem disponit: deinde vitandus est aër valde *frigidus*, *humido-frigidus*, nebulosus, crassus, gravis, torpidus vappidus, & præcipue *frequens* ejus admissio arceri debet, nam *omnimode* tali aëri se subtrahere, & *scrupulosa* sollicitudine *temperatum* aërem observare velle, naturam nimis *emollit*, seducit, languefacit, & ad *vehementiores* alterationes ex *aëris* qualitate *mutata* subeundas, disponit; siquidem in vita humana non semper tam *strictum* & exquisitissimum regimen observari potest: quam ob rem sermo nobis est, ut quam plurimum *inimicum* talem aërem subjecta talia evitent:

tent: quo pariter illa moderatio pertinet, ne ex *temperati* aëris usu, subjecta illa subito *infensæ* huic aëris qualitati se submittant, quæ *repentina* mutatio tanto curatius *illis* temporibus evitanda est, quibus natura humana *distincta* applicatione *peculiaribus salutaribus extraordinariis* evacuationibus administrandis operam dat, velut liberaliori exonerationi *alvi*, *catarrhali* pectoris aut capitis purgamini, fluxui *hæmorrhoidali*, *sudori* annuo aut *periodico*, sic dicto *critico;* quales evacuationes, aliquando *æquinoctialibus* periodis occurrere solent; *quæcunque* enim aëris qualitas *excretiones*, præcipue *periphericas*, placide promovet & conservat, illa ad podagram *avertendam* admodum contribuit; quoniam vero *frigidus* aër *contrarium* efficit, & simul *humorum* massam cum multa *impuritate* inquinat, insuperque *sensibilioribus* partibus *offendendis* & stimulandis *fomitem* infensum, & humorum *acrimoniam* affert, ita ille facile ad podagram *provocandam* quadrat; hinc sanguis *acrior illos* excitat motus, tanquam *remotior* impulsiva causa, qui *hæmorrhoidalem* evacuationem prosequi solent: ob id etiam *ejusmodi* subjecta quæ Podagræ *invasionem* expectant, metuuntque, in aëre *impuro*, salso, paludoso, putrido, vaporoso, multis *impuris* & heterogeneis effluviis aut ex *terra*, aut ex *stagnis*, aut ex spissis sylvis evenientibus referto, *diu* versari *haud* debent: quicunque aër ad nimiam fibrarum *obrigescentiam* alias disponit, ille sedulo *vitandus* est: quare in locis *declivioribus*, & domiciliis, habitaculis, conclavibus & dormitoriis supra *cellas*, *fodinas*. subterraneas *aquas*, *fontes*, &c. exstructis ordinarie & diu commorari haud debent, qui in *Podagram* inclinant, quoniam in *talibus* locis aër *frigidior* & simul *humidulus* continuam ferme *peripheriæ*, præcipue vero pedum, *stricturam suspectam* causatur, quæ deinde sub *aliarum* causa-

rum

rum concursu, ad *citiorem* & certiorem ardui hujus affectus *invasionem* disponit.

§. VII.

Magnum auxilium ad *avertendam* Podagram est *Temperantia* & *sobrietas* quoad *victum* & *potum*, quoniam *plenus*, tanto magis *superfluus* utriusque usus hunc affectum *certo* & *facile* in subjectis *aptis* invitat; hinc *plurimi* Medici in historia *causarum largiorem* ingestionem alimenti & potulenti annotare solent; quam ob rem *Rhodiginus Antiqu. lect. lib. 13. c. 25.* dicit: *hoc pacto quosdam legimus, morbo articulari & podagræ tumoribus laborantes, bonorum proscriptione, ad simplicem mensam & pauperes cibos redactos, convaluisse conf. Rejes quæst. 88. n. 9. 10. Camerar. in Syllog. memorab. Cent. 4. partic. 7. Langius miscell. medic. curios. n. 10. p. 21.* qui enim humores *laudabiles* & *illaudabiles* accumulant, neque *sufficienter* consumunt, aut eliminant, illi *inde*, sicut ad diversos *alios*, ita sub aliarum causarum concursu ad *hunc Podagricum* affectum disponuntur: quare non æque semper *eminens* intemperantia & excessus committi debet, cum frequens *saturatio* & diæta ad *superfluam sanguinis* copiam generandam huc quadret: proinde vero *evitanda* sunt subjecta valde *spirituosa*, largiora *aromatica*, copiosa *vinosa*, quæ non modo magnam *seri acrioris* subtilioris, valde *sulphurei* & *orgastici* quantitatem generant, sed hoc ipso frequenti motu sanguinis *turgefactorio* irritamentum subministrant, quo reliqua *superflua* sanguinis copia *excretorio* tali molimine instruatur & afficiatur: sicut itaque substantiæ tales spirituosæ *proximius* sanguinem per *abdominis* regionem profluentem *impellunt* ita hoc molimen *excretorium* ad *hæmorrhoidales* aut *urinarias* vias tendit: quæcunque subjecta spirituosa *distincto* majori gradu *sanguinem* commovent, velut vinum adustum, vina *generosa*, aut vina *recentia*, *largo* sulphure prædita & crudiori tartaro & acido vias urinarias simul

efficacius ſtimulante, impregnata, illa hunc affectum *citius* & *facilius* provocant, quemadmodum per *rationem*, *obſervationem* & *confirmationem* demonſtrari poteſt, quod *vinum* interdum ad Podagram diſponat *vid. Rejeſius l. c. & Camerarius Syllog. memorab. Cent. 8. partic. 54. Cent. 12. partic. 20.* interim prudens & *congrua* vini ordinatio non omnimode nocet, *vid. Fortis Conſult. & Reſponſ. medic. Tom. II. Cent. 4. conſ. 68. p. 569.* ubi iterum *acrimonia* ſanguinis haud *principalem*, ſed ſecundariam cauſam conſtituit, quæ ſero ſuo *orgaſtico* qualificata, *inimicas* tales commotiones cauſatur, quales deinde *occaſionem* miniſtrant, quo proceſſus *hæmorrhoidalis* affectu *podagrico* inſtituatur: quando etiam per *ejusmodi* & adhuc alia ſubjecta largior *bilis* copia generatur, tunc *copioſior* ejus affluxus intra *inteſtina* hæc ad *majorem ſanguinis* affluxum ſubeundum diſponit, ſiquidem tales homines ſæpius ſub alvi exoneratione *ardorem* in inteſtino recto & ano experiuntur, qui copioſus ad *hæc loca* ſanguinis affluxus iterum ad *motus hæmorrhoidales* ſuſcipiendos anſam præbet: Proficit itaque cibus & potus *temperatus*, *mediocri* quantitate aſſumendus; ita tamen, ut *liquidorum* temperatorum ingeſtio paulo *copioſior* eſſe debeat, quam ſolidorum: vitentur etiam cibi, qui multam *cruditatem* primis regionibus conciliant, qui *alvi* excretionem *impediunt*, adeoque *liberum* ſanguinis motum in *confiniis* inteſtinorum *difficiliorem* reddunt, ut propterea tales *conatus* excretorii *hæmorrhoidales* ſuperveniant, qui harum partium *depletionem*, adeoque liberi progreſſus ſanguinis per illas *promotionem* reſpiciunt: ſub diæta vitentur *frequentiori* uſu piper. Z Z. cepæ, allium, porrum, quia *loca hæmorrhoidalia* valde *ſtimulant*, nec non vina valde *ſulphurata*, aut *imperitis* artificiis adulterata, ut & cereviſia *ſpiſſa*, denſa, valde *ſaturata* fæculenta, *pinguis*, hitzige Biere,

C quæ

quæ ſanguinis *augmento* & *commotioni* intenſiori admodum favet: quæcunque ſubjecta ſanguine *ſubtili*, acri, *ſeroſo* prædita ſunt, illis præter *modicum* vini adulti Rhenani aut Moſellani uſum, decoctum domeſticum, *loco cereviſiæ*, ut hordei, aut C. C. aut avenæ leniter paſſulatum conducit: ita *Sydenhamius tr. de Podagra p. n. 478.* peculiare tale decoctum *Podagricis* & *Calculoſis* commendavit. Denique etiam *cibi crudi*, craſſi *primas vias* onerantes & inquinantes, chylum & ſanguinem *ſpiſſum* generantes, ut & valde *ſalſi*, acidi, ſanguinem *incraſſantes*, & *liberum* illius motum impedientes, præcipue in confiniis *hæmorrhoidalibus* debitum ſanguinis *progreſſum* ſufflaminantes & turbantes, ſedulo vitandi ſunt: Nocent etiam ſub diæta *acida*, præcipue ſæpe aſſumta, *conf. Langius l. c.*

§. VIII.

Invitat porro *Podagram* nimia *deſidia* & nimis *ſtrenua* & *vehemens* corporis *commotio*: quare quoad *motum* & *quietem temperies* obſervanda eſt; etenim *ſedentaria* valde vita, *variis* modis hunc affectum in *idoneis* ſubjectis provocat, *augendo* videlicet quoad *quantitatem*, cauſando ſanguinis moleſtam *ſpiſſitudinem*, legitimum ſanguinis *circuitum* turbando & impediendo, *dyſcraſiam* illius ſanguinis excitando, *ordinarias* excretiones pervertendo, adeoque ad *eluctatorias* tales commotiones ſive *hæmorrhagica* molimina *ſpaſtica* anſam præbendo: contra vero *aſſidua* conſtans & moderata *corporis exercitatio* multum ad podagræ *præſervationem* contribuit; hinc multa occurrunt *exempla* & teſtimonia hominum, qui *tunc demum* hunc affectum ſubierunt, quando e *mobili* vitæ genere in *ſedentariam* tranſierunt vitam: ſit vero *motus* corporis *moderatus*, neque *vehemens* & impetuoſus, qui poſterior ſanguinem nimium turgefaciendo ad motus *hæ-*

mor-

morrhagicos suscipiendos præparat; sed subinde exorbitantia, *anomala* & vehementia molimina hæmorrhagica causatur, regularem & *temperatum* progressum sanguinis pervertit, *vasa* & *reliquum* corpus valde *turgefacit*, serum copiosum *orgasticum acre* generat, iterumque *variis* modis hunc affectum invitat: seorsim vero *illa* nimia corporis *quies*, quæ simul pedes perquam afficit, & in hisce *tardum* & *difficilem regressum* sanguinis causatur, hunc affectum sua *invasione* accelerat, inde facile *spasmi irritamentum* nanciscuntur, quo sanguinis *progressus* per pedes promoveatur: interea ad *præservandam* Podagram moderata *equitatio* & *obambulatio* valde juvat, quo etiam *peregrinationes* congruo tempore & moderamine institutæ admodum proficiunt.

§. IX.

In *Somno* & *Vigiliis* etiam *moderamen* servari debet; nam *nimius* aut *multus Somnus* accumulat *sanguinem*, *cruditates & impuritates* alias; invitat *spissitudinem* sanguinis, retardat salubres *depurationes* & *excretiones*, præcipue in *primis regionibus* varias turbas causatur, in *dispositis* subjectis *anomalias* hæmorrhoidales provocat, & cum tempore dirum hunc morbum excitat & allicit; sub somno enim multo *torpescit animus*, languescunt motus *excretorii*, quare excretio *hæmorrhoidalis* ægrius succedit, aliaque *remotiora* magisque irregularia *molimina* hæmorrhoidalia, qualia ex parte *podagrica* sunt, superveniunt, quæ tanto *facilius* irruunt, quo magis in *pedibus impeditior* progressus sanguinis concurrit: quo majores itaque turbæ in œconomia vitali ex *longiori* somno oriuntur, eo magis processus *hæmorrhoidalis* in aptis subjectis *pervertitur* & multiplex causa subministratur, unde *Podagricus* affectus convocatur; quales causæ modo recensitæ cum *formali* Podagræ ratione conciliatæ, facilius præ-

ſentem obſervationem illuſtrant. Ita *nimiæ Vigiliæ* multas & magnas *turbas* in proceſſu *vitali* cauſantur, præcipue vero *irregularem* reddunt motum *ſanguinis*, pervertunt *concoctionem*, colligunt *cruditates*, *alvi* excretionem confundunt, motus *incongruos* in primas vias transferunt, & hoc modo *perverſum* motuum *hæmorrhoidalium* ſtatum cauſantur, qui in congruis ſubjectis tandem in *podagricas* afflictiones interdum erumpunt: quam ob rem *juſtus ordo* & conveniens moderamen in *Somno* & *Vigiliis* æque aliquam opem confert, quo minus facile hic affectus irruat & corripiat; nam quæcunque ſubjecta in hunc morbum propendent, illa ex rerum *non naturalium* perverſo uſu facilius qualificantur, quo *actuali* hujus affectus invaſioni ſubjiciantur.

§. X.

Quantum ad Podagræ *Præſervationem* legitimus ſucceſſus ſalutarium *excretionum* conferat, haud *ſuccincta* annotatione *ſufficienter* ſignificari poteſt; brevitati tamen ſtudentes, *aliquas* animadverſiones producere placet: & ita *alvi* juſta, *ſufficiens* videlicet, *facilis* & *lubrica* evacuatio admodum *neceſſaria* eſt, qua impuritates *craſſæ*, *bilioſæ*, *acidæ* aliæque *ſalſæ* non modo *excernuntur*, ſed & reliquæ *primæ viæ apertæ* & in *ordinaria* ſua functione *officioſæ* ſervantur, cum quo *æquali* ac temperato proceſſu harum functionum *liber* progreſſus ſanguinis per loca *hæmorrhoidalia* conſervatur; dum viciſſim *alvinæ* excretionis *perturbatio* non modo *motum* ſanguinis per *Venam Portæ* & *conſentientes* partes valde afficit, ſed & *humores* varia *inquinationis* ſpecie alterat, ut hac ratione partim *eminus*, partim *cominus* molimina *hæmorrhoidalia* turbari, & tales e *diſſito* annitentes conatus excitari queant: & dum *ſegnis*, *difficilis* & *inſufficiens* alvi evacuatio *vario* modo maſſam *ſanguineam* inquinat, ut nunc *ſpiſſitudo*, nunc *acri-*

mo-

monia illam afficiat, ita & *hæ* qualitates *remotiori* quadam efficacia *ſpaſticos* affectus excitare, ac ſubinde ad *præſentem* affectum diſponere poſſunt & ſolent; præcipue vero quando impuritates *bilioſæ copioſius* coacervantur & *retinentur*, tunc non modo in *genere inteſtinorum* tractum, ſed & *hæmorrhoidalia* loca valde afficiunt & ad multiplices perverſos motus contribuunt; quemadmodum *bilioſa* colluvies, *ſanguini* copioſius interagitata, ad frequentes *orgaſmos* partium *ſenſibilium* irritationes, *congeſtiones* & *ſpaſmos* diſponit, hocque modo iterum ad *Podagram* excitandam ſatisfacit & concurrit: quare *conſtans* & *ſufficiens* alvi abſterſio & exoneratio multum ad *præſervandam* Podagram confert: legitimus ſucceſſus *tranſpirationis inſenſibilis* & interdum placidæ *diaphoreſeos* diverſo iterum reſpectu ad Podagræ *præoccupationem* conducit, ſiquidem hac evacuatione ſanguis in *æquali* diſtributione perennat, *fluiditatem* neceſſariam & *temperiem* congruam ſervat, a ſuſpectis *ſtagnationibus* liberatur, *aliæque* evacuationes ordinariæ per connexionem in ſimili *juſto* ſucceſſu continuant, ut nulla *turba* negotium *hæmorrhoidale* corripiat, neque ſuſpectæ *cruditates* & *impuritates* humorum generentur & colligantur: & ita negotium cum *reliquis* evacuationibus comparatum eſt, quæ, dum *debite* procedunt, ab hoc & multis aliis affectibus *præſervant:* præcipue vero animus advertendus eſt ad *legitimum* & temperatum *Hæmorrhoidum* ſucceſſum in ſubjectis *aptis*, quarum *molimina* ingruentia non *perverſe* tractanda, multo minus *opprimenda* & repellenda, ſed ad *facilem* & *placidum* decurſum promovenda, ipſe vero completus & *actualis* ſtatus & *fluxus* hæmorrhoidalis a quibusvis *ſenſibilibus* turbis liberandus & defendendus eſt.

§. XI.

Præter hæc omnia *eximie* ad Podagræ *Præservationem* continentia & *tranquillitas animi* conducit; hinc *Sydenhamius* dicit *tr, de Podagra p. 480, animi tranquillitas omni ope ſtabilienda eſt, cum perturbationes omnes, ſi repagula ſemel effringunt, ad Podagræ*: incrementum multum faciunt: quanta enim *commoda* œconomiæ *vitali* illa promittat, jam in foro *medico* abunde conſtat: etenim non modo *manifeſta* iracundia, ſed & *tacita* indignatio, *cura, angor, ſollicitudo, metus triſtitia* &c. hunc morbum invitant, dum non tantum *motum ſanguinis* valde turbant, ſed & *ordinarias* functiones *naturales* & *extraordinarium* proceſſum *hæmorrhoidalem* admodum offendunt & pervertunt, ut, poſthac contumacia & *immoderata* talia *molimina* hæmorrhoidalia irruant: & quamvis juxta *Bartholinum Cent. 6. hiſt. 28. & Hildanum Cent. 1. obſ. 79. Salmuth. Cent. 1. obſ. 48. Lotticbium obſerv. p. 489. ira* & moeror in Podagra utilis commemoretur, tamen a *ſingularibus* & particularibus exemplis non valet *abſoluta* argumentatio, quaſi per ejusmodi affectum animi Podagra aut *ſemper curari* aut *præſervari* queat; hinc potius innumera *exempla* & *Medicorum* ſuffragia teſtantur, quod animi turba & incontinentia hunc affectum *efficaciſſime* & *certiſſime* invitet & acceleret: commendamus itidem ad Podagram præſervandam *Caſtitatem animi* & *corporis*: ſiquidem *venerea* intemperantia facile *arthriticos* & *Podagricos* affectus cauſatur, *vid. Galen. 5. com. in 6. Epid. 28. Sinibaldus Geneanthr. Lib. 2. tr. 2. c. 10. p. 159. Lib. 9. tr. 2. c. 13. p. 775. Liberat. de Liberat. Podagr. Polit. lib. 1. c. 5. p. 19. ſeq. lib. 2. c. 7. p. 132, Gliſſonius in anatom. hepat. c. 45. p. 502. Sydenhamius* l. c. *Raym. Joh. Fortis Conſult. & Resp. Med. Tom. I. Cent. 4. Conſ. 73. p. 454. Tom. II. Cent. 4. conſ. 68. p. 570.* & *Conſ. 66. p. 567,* dicit: *Coitus articulos & caput extreme lædit. Læl.*

a Font.

a Font. Conſult. XIV. p. 100. Hollerii **Opp.** *de Morb. intern. Lib. 1. c. 63. p. 537. in ſchol. Warlitz de Morb. bibl. c. 12. p. 373. multique alii:* coacta viciſſim & *moleſta* ſeminis *plenaria* retentio nimiaque *accumulatio* æque Podagram aliasque *anomalias* Hæmorrhoidum excitat: hinc ad podagram præſervandam, præeunte *Hippocrate Sect. 6. aph. 28.* Caſtrationem quidam commendarunt: & *Paulus Ammannus in Medicina Critica diſcurſ. 19. p. 159.* dicit: *quod podagricis præſervationis gratia Caſtratio non ſine tædio interdum ſuggeri ſoleat conf. Franckenau Satyr. Med. 2. p. 38. Schurigius Spermatolog. cap. 9. qu. 7. p. 448. an in Podagricis Caſtratio pro cura ſit inſtituenda?* quod medium vero vix facile *prudens* & *humanus* Medicus probabit.

§. XII.

Docet porro *experientia*, neque hanc penitus deſtituit *ratio*, quod aliquando Podagra *contagioſa* exiſtat, i. e. quod per modum *contagii* communicetur, quando videlicet homines *ſani* podagricorum veſtimenta, caligas, ocreas, tibialia, calceos induunt & geſtant, qualia exempla commemorantur in *A. N. C. Dec. 1. an. 6. & 7. obſ. 143. & Cent. 1. app: p. 192. ad obſ. 143.* ſicut ſimile ſpecimen *D. D. Præſidi* cognitum eſt de hoſpite quodam Windsheimenſi, qui per geſtationem ocrearum infectus fuit; quo loco non quidem tempus & neceſſitas poſtulat, ut cauſam hujus inquinationis proferatur; ſufficit interim tantum annotaſſe, quod ad præſervandam podagram etiam conferat, ne talia podagricorum veſtimenta applicentur & geſtentur neve inde provenientia *ſpecialia* effluvia excipiantur, quæ in corpore adhuc *ſano* ſimiles effectus *ſpaſticos* & ſanguinem *commoventes* & *emoventes* producunt. Denique per *medicamenta* an podagra præſervari queat, quæſtio interdum inſtituitur: *remotive* omittenda ſunt cruda, copioſa que *aloëtica*, *myrrhata*, *crocata*,

cata, ut & ſanguinem valde commoventia, nec non fortiora *purgantia*, potentiora *diuretica*, *aphrodiſiaca*; adhibeantur nonnunquam rhabarbarina, mannata, tamarindinata, temperantia, abſorbentia, nitroſa, ſanguinem diluentia, *bilioſa* humorum recrementa] involventia, *temperiem* humoribus conciliantia, *acidulæ* temperatæ, decoctum avenæ, C. C. hordei, Scorzon. liquirit Sarſaparill. paſſular. interdum ordinentur diaphoretica fixa, quo *æqualis* humorum circuitus promoveatur, & craſis illorum depuretur: & ſi in nonnullis ſubjectis *motus* & *fluxus* hæmorrhoidalis adeſt, tunc illis in *æquali* & congruo ſuo ſtatu conſervandis cura adhibenda eſt; ſi vero tales *apparatus* hæmorrhoidales nondum præſto fuerint, interim tamen ob juſtas rationes expectari poſſint debeantque, tunc illa conſilia ordinamus, quæ D. D. *Præſes in diſp. de Hæmorrhoidum Præſervatione* commendavit. Sufficiant hæc *ſuccincta* annotatione de *abſoluta Podagræ Præſervatione* protuliſſe: Faxit divina bonitas ut noſtros labores comitetur ſalutaris ſucceſſus & optatus

F I N I S.